

III. *Singularia quædam in Cadavere calculoso dissecto reperta, ab Abrahamo Vater, M. D.  
Pr. Anat. Wittemb. R.S.S.*

**J**UENIS studiosus per duos annos Dysuria frequenti laborans, per illud tempus ultra quinquaginta calculos excrevit; quorum plerique sine insigni dolore intermingendum secesserunt; quidam tamen eorum reliquis majores, pisorum majorum vel phæcolorum magnitudinem habentes, in urethra substiterunt, ac manu chirurgi comminuti aut sectione extracti fuerunt. Incidit hic sensim in Marasnum totius corporis, ac urgente tussi sicca & Asthmate, accidente insuper tumore pedum œdematoso, tandem pridie ante mortem, lecto affixus, animam Creatori reddidit. Ad sectionem corporis defuncti accedentes, aperto Thorace, pulmonem cum pericardio, diaphragmate & costis, hinc inde concretum, ac in dextro præprimis latere scirrhosum invenimus, in utroque præterea ventriculo cordis, Polypos insignes, qui truncos vasorum occupaverant. & proculdubio Asthmatis atque insequentis suffocationis, mortisque subitaneæ præcipua causa fuerunt.

In abdomine hepar & lien nullo manifesto vitio laborabant; intestinum autem ileon fugillatum erat, & colon in toto suo ambitu, à dextro inde latere, ubi hepati accumbit, una cum recto, ita constrictum & contractum apparebat, ut vix digiti crassitatem æquaret, nullamque serè cavitatem interius monstraret.

Tandem vias urinarias, utpote officinam tot calculorum visitantes, in renibus atque ureteribus nihil præternaturalis invenimus, in vesica verò tres calculos, pha-

phaseolorum magnitudinem habentes, eos tamen non liberos, sed membrana valida involutos, ac lateri anterius prope sphincterem adhaerentes deprehendimus, quos in rei memoriam una cum eorum involucro asservo. Unde haec membrana calculos involvens originem trahat, explicatu difficillimum mihi videtur; quamobrem hac data occasione, flatu per ureterem utrumque immisso, inquisivi, an illa (*viz membrana*) cum ureteribus communicet; & utrum sit ipsa membrana Vesicæ interior, à calculis in ureteribus, inter substantiam Vesicæ incidentibus, una cum uretere, vel hocrupto, extensa: nihil tamen detegere potui. Hos tamen calculos Dysuriæ non tantum continuæ, sed etiam propter irritationem perpetuam, constrictio-  
nis præternaturalis intestini coli atque recti extitisse, rationi conveniens videtur.